

Die Urkunden Karls des Großen, 217

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Langobardorum Berane, Gauscelino, Gisclafredo, Odilone, Ermengario, Ademaro, Laibulfo et Erlino comitibus. Notum sit vobis, quia isti Ispani de vestra ministeria: Martinus presbiter, Iohannis, Quintila, Calapodius, Asinarius, Egila, Stephanus, Rebellis, Ofilo, Atila, Fredemirus, Amabilis, Christianus, Elpericus, Homodei, Iacentus, Esperandei, item Stephanus, Zoleiman, Marchatellus, Teodaldus, Paraparius, Gomis, Castellanus, Ardaricus, Wasco, Wisifus, Witericus, Ranoidus, Suniefredus, Amancio, Cazerellus, Longobardus, Zatemiliteis, Odesindus, Walda, Roncariolus, Mauro, Pascales, Simplicio, Gabinus, Solomo presbiter ad nos venientes suggesserint, quod multas oppressiones sustineant de parte vestra et iuniorum vestrorum, et dixerunt, quod aliqui pagenses fiscum nostrum sibi alter alterius testificant ad eorum proprietatem et eos exinde expellant contra iusticiam et tollant nostram vestituram, quam per triginta annos seu amplius vestiti fuimus et ipsi per nostrum donitum de eremo per nostram datam licentiam retraxerunt. Dicunt etiam, quod alias villas, quas ipsi laboraverant, laboratas [ab] illis eis abstractas habeatis et beboranias illis superponatis et saiones, qui per fortia super eos exactant. Quam ob rem iussimus Iohanne archiepiscopo misso nostro, ut ad dilectum filium nostrum Lodoicum regem veniret et hanc causam ei per ordinem recitaret, et mandavimus illi, ut tempore oportuno illuc veniens et vos in eius presentiam venientes hordinare faciat, quomodo aut qualiter ipsi Ispani vivere debeant. Propterea has litteras fieri precepimus atque demandamus, ut neque vos neque iuniores vestri memoratos Ispanos nostros, qui ad nostram fiduciam de Ispenia venientes per nostram datam licentiam erema loca sibi ad laboricandum propriiserant et laboratas habere videntur, nullum censum superponere presumatis neque ad proprium facere permittatis, quoadusque illi fideles nobis aut filii nostris fuerunt, quod per triginta annos habuerunt per aprisionem, quieti possideant et illi et posteritas eorum et vos conservare debeatis. Et quicquid contra iusticiam eis vos aut iuniores vestri factum habetis aut si aliquid eis iniuste abstulistis, omnia in loco restituere faciatis, sicuti gratiam dei et nostram vultis habere propiciam. Et ut cercius credatis, de anulo nostro subter sigillari iussimus.

Guidbertus diaconus advicem Ercanbaldi recognovit et [SR.].

Data IIII nonas aprilis anno Christo propicio imperii nostri XIII, regni vero in Francia LIII atque XXXVIII in Italia, inductione quinta; actum Aquisgrani palatio regio; in dei nomine feliciter amen.